Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



in filios diffidentiae. sed nunc ergo effugiamus principes eorum
Erant enim aliquando tenebrae nunc autem lux in domino:
ut filii lucis ambulate. fructus enim lucis est in
omni bonitate et iustitia et veritate Gradus Exsurge
domine non praevaleat homo iudicentur gentes in aspectu tuo V. Iudica
domine secundum iustitiam meam secundum innocentiam meam super me
cua Tractus Ad te levavi oculos meos qui habitas in celis
V. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum V. Et sicut oculi
ancillae in manibus domine sue V. Ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri V. Miserere nobis domine miserere nobis Sui Dicam
In illo tempore. Erat iesus eiiciens demonium et illud
erat mutum: et cum eiecisset demonium locutus est mutus
et admirate sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt
In beelzebub principe demoniorum eiicit demonia. Et
alii tentantes: signum de celo quaerebant ab eo:
Ipse autem ut vidit cogitationes eorum: dixit eis. Omne
regnum in se ipsum divisum desolabitur: et domus
super domum cadet. Si autem et satanas in se ipsum
divisus est quomodo stabit regnum ipsius. Quia dicitis in beelzebub eiicere me daemonia
Si autem ego in beelzebub eiicio demonia filii vestri in quo eiiciunt
eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito dei eiicio demonia: profecto pervenit in vos regnum dei
Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior illo superveniens
vicerit eum: universa arma eius auferet in quibus confidebat: et spolia eius distribuet. Qui non est
mecum adversum me est: et qui non colligit mecum
dispergit. Cum immundus spiritus exierit ab homine
ambulat per loca inaquosa quaerens requiem et non
inveniens dicit revertar in domum meam unde exivi